

L. N. D.

*Dissertatio Academica,
De**Martyrio Christi**Pro**Veritate,**Joh. XVIII: 37.**Cujus**Partem**Philologicam,**Consens. Ampl. Facult. Philos. Aboëns.**Publico examini modeste offerunt***ZACHARIAS TAMLANDER,***Philos. Mag: & V. Apolog. Schol. Triv. Bjærnebi.**Et***MATTHIAS HAREVELIN,***Aboënses.**In Auditorio Majori die XVII Maji MDCCXCIII.**h. a. m. c.*

ABOË,, Typis FRENCKELLIANIS,

IN
SACRAM
REGIAM MAJESTATEM
SPECTATISSIMÆ FIDEI VIRO,
NEC NON
CENTURIONI, AD PRÆTORIANAM DIMACHARUM
LEGIONEM, STRENUISSIMO,
NOBILISSIMO DOMINO,
D:no MICHAËLI HISING,
PATRONO BENIGNISSIMO.

*In signum animi grati & venerationis numquam inter-
morituræ, pagellas hasce levissimas Offert, Dedicat &
Confecrat*

NOBILISSIMI NOMINIS TUI

cultor devotissimus
ZACHARIAS TAMLANDER.



Præfatio.

Haud ignota hodie est distinctio Theologiæ in *Biblicam* & *Scholasticam*, quarum altera ab altera, sive *materiam* sive *formam* spectes, toto cœlo differt. Illa tantummodo veritates salutares ex Sacris Litteris haustas idoneoque ordine dispositas simplici minimeque difficili orationis genere proponit & inculcat, hæc vero solis veritatibus illis salutaribus non contenta, multas & varias movet quæstiones plus curiositatis, quam necessitatis & plus subtilitatis quam utilitatis habentes, earumque solutiones non tam ex Divinis oraculis, quam ex humano ingenio depromtas longa ratiociniorum pompa demonstrare satagit, genere sermonis usa horrido ac spinoso, terminis technicis ad *usum Scholæ*, quam ad *usum vitæ* accommodatioribus abundante. Nobis igitur Specimen Sanctioris eruditionis dare meditantibus prima fuit cura, ut idoneum tractationis argumentum inveniremus, quale id demum fore putavimus, quod ex ipso Scripturæ fundo

eratum ad *animum emendandum*, non ad *ingenium ostendendum* aptum esset. Hujusmodi in primis sunt effata, quæ ex ore dulcissimi Salvatoris manarunt, quippe quæ omnia Divinam spirant fragrantiam. Hoc igitur animo volventibus perquam opportune in mentem venit responsi SALVATORIS, quod Pontio Pilato interroganti: *AN Rex esset Judæorum*, dedit, *ideo Se natum esse & in mundum venisse, ut suo martyrio regnum veritati restitueret.* Joh. XVIII: 37. Hoc quidem argumentum eo dignius judicavimus, quod nobis loco exercitii Academicæ excuteremus, quo propius ad veritatem accedit effatum Theologorum, *Christum totius & Scripturæ & Theologiæ nucleum & centrum esse.* In primis vero utile fuerit, qua decet diligentia, investigare, quid sibi velit vocabulum VERITATIS, in qua *Christus sui regni characterem posuit*, eoque utilius, quod ad quæstionem P. Pilati: *QUID EST VERITAS?* nihil respondit ipse. Quoniam vero ad arcem hujus argumenti pervenire non licet, nisi id agamus, ut verus pateat sensus dictorum Scripturæ, ex quibus desideratum responsum elicere statuimus, necesse omnino est, ut viam nobis muniamus, præmissa tractatione Philologica, in qua erui possint notiones vocum & potestates phrasum, quibus Spiritus Sanctus in hoc argumento passim utitur. Hinc omnis hæc Disputatio in duas abit partes, quarum altera *Philologica*, altera *Theologica* erit tractationis. Harum igitur priorem hac occasione publicæ censuræ subicere statuimus.

mus, Lectores quo decet studio & officio rogantes, ut quidquid imperfectionis his qualibuscunque meditationibus adhæreat, id benevole excusatum velint, id quod precibus nostris eos eo facilius daturos speramus, quod hoc Specimen necesse habuimus conscribere in disfito versantes oppido, ubi nullus ad Bibliothecas aditus nobis patuit.

§. I.

Quum usu venire possit, ut pagellæ nostræ in manus incidant Lectorum, qui memoriæ infixam non habeant Pericopam S. Jobannis, unde argumentum Dissertationis sumsimus, non alienum fuerit, textum illius Græcum adponendo, illorum commoditati consulere. Sic vèro hic Cap. XVIII: com. 33 — 38. habet: Εισηλθεν ουν εις το πραιτωριον παλιν ο Πιλατος, και εφονησε τον Ιησουν· και ειπεν αυτω· Συ ει ο βασιλευς των Ιουδαιων; Απεκριθη αυτω ο Ιησους· Αφ εαυτου συ τουτο λεγεις, η αλλοι σοι ειπον περι εμου; Απεκριθη ο Πιλατος· Μιτι εγω Ιουδαιος ειμι; το εθνος το σον και οι αρχιερεις παρεδωκαν σε εμοι· τι εποιησας; Απεκριθη ο Ιησους· Η βασιλεια η εμη ουκ εστιν εκ του κοσμου τουτου· ει εκ του κοσμου τουτου ην η βασιλεια η εμη, οι υπερηται αν οι εμοι ηγωνιζοντο ινα μη παραδοθω τοις Ιουδαιοις· νυν δε η βασιλεια η εμη ουκ εστιν εντευθεν. Ειπεν ουν αυτω ο Πιλατος· Ουκουν βασιλευς ει συ; Απεκριθη ο Ιησους· Συ λεγεις, οτι βασιλευς ειμι εγω· εγω εις τουτο γεγεννημαι, και εις τουτο εληλυθα εις τον κοσμον,

να μαρτυρησω τη αληθεια. Πας ο ων εκ της αληθειας, ακουε
 μου της φωνης. Λεγει αυτω ο Πιλατος: Τι εστιν αληθεια;
 Quum verba hujus Textus nihil habeant difficultatis,
 quod sola translatione minui possit, ea in Linguam
 Latinam supervacaneum esset transferre. Ad rem
 vero ipsam, quod attinet, ea aliquid lucis exinde fe-
 nerari poterit, si unum alterumve adponamus locum
 parallelum. S. Matthæus responsionem Jesu ad quæ-
 sitionem P. Pilati brevius refert, his usus verbis: Και
 επιρωτησεν αυτον ο ηγεμων, λεγων: Συ ει ο βασιλευς των
 Ιουδαιων; Ο δε Ιησους εφη αυτω: Συ λεγεις. Cap. XXVII:
 II. Idem facit S. Marcus Cap. XV: 2. & S. Lucas
 Cap. XXIII: 3. Ipsa vero crimina, quæ proceres Ju-
 dæorum coram tribunali P. Pilati Jesu imputabant, his
 verbis refert S. Lucas Cap. cit. com. 2. Ηρξαντο δε
 κατηγορειν αυτου, λεγοντες: Τουτον ευρομεν διασρεφοντα το
 εθνος, και κωλυοντα Καισαρι φορους διδουαι, λεγοντα εαυτον
 Χριστον βασιλεα ειναι. Ante vero quam Jesum vincum
 adduxerunt ad P. Pilatum, qui in prætorio erat, ipsi
 in Synedrio ab eo quæsierant: Ει συ ει ο Χριστος;
 ειπε ημιν. Luc. XXII: 67. Idem refert Matthæus hoc
 modo: Και αποκριθεις ο αρχιερευς, ειπεν αυτω: Εξοριζω
 σε κατα του Θεου του ζωντος, να ημιν ειπης, ει συ ει ο
 Χριστος, ο υιος του Θεου. Cap. XXVI. 63. Hic atro car-
 bone notanda est astutia Judæorum, qui quamvis a
 Jesu definite quæsierant, an esset ο χριστος h. e. il-
 le ipse Rex, quem Judæi tunc temporis, vi vatici-
 niorum expectabant, Pilato tamen dixerunt, eum se-
 gere.

gerere pro Χριστω indefinite, ut eum eo facilius adducerent in suspicionem novarum rerum, nulla occasione data quærendi de Messia expectato. Interea P. Pilatus non indefinite, sed definite Jesum interrogabat, quo ipso haud obscure significabat, se non latere, qualem regem sibi proceres Judæorum tradiderant.

§. II.

Ex iis, quæ jam adducta sunt, locis Evangelistarum haud obscure patet, tria nomina: ὁ Χριστός, ο υἱὸς τοῦ Θεοῦ καὶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, si minus *formaliter*, tamen *materialiter synonyma* esse, eandem plane personam designantia. Tria verba תַּוּב Hebræum, χρίειν Græcum & *ungere* Latinum idem plane significant, unde תַּוּב, Χριστός & *Unctus* plane synonyma sunt. Omnia vero materialiter regem denotant, idque Metonymice, signo pro signato posito. Ratio hæc est, quod ab antiquis inde temporibus usu receptum fuit pretioso unguento delibuerunt principes, cum habent imperii iis traderentur. Ipsum vero unguentum, quamvis aliquid symbolici in recessu habere certum sit, cujus nam vero rei in primis symbolum fuerit paulo difficilius definitum est. Usus enim unguentorum veteribus varius erat. Membra corporis oleo perfundere solebant, partim ut ea conservarent sana, partim ut ad opus faciendum eo expeditiores essent. Athletæ vero ideo se oleo ungebant, ut nudi pugnan-

tes glabri essent, nec facile ab adversariis comprehendi & superari possent. Neutrum vero horum usum tanquam symbolum in regibus ungendis locum habuisse arbitramur. Quoniam vero in maximis deliciis semper fuit esculenta pingua consumere, symbolum lautetiarum erat oleum. Hinc coenae unctae & unctissimae, idem sunt quod coenae lautae & lautissimae. Quare coquus, qui cibum corruerat operam & oleum perdidisse dicebatur. Præterea in convivii ditionum etiam solenne erat capita unguentis perfricare. Unde unguenta exotica olere idem erat, quod cæteris luxoriosius vivere, unde profecta etiam appellatio olei lætitiæ Pf. D. XLV: 8. Quo major erat lætitia, quæ in convivio regnabat, eo plus unguenti impendebatur. Quare in Solennitatibus nuptialibus in primis locum habebat mos unguendi capita hospitem; ad quem morem David loco nuper citato respexit. Quominus unctio Regum lætitiæ symbolum fuerit, indeque derivata sit ratio, cur reges in primis nomine *unctorum* insignirentur, nos dubitare non sinunt neque vetera neque recentia historiarum monumenta. Brevitatis causa observasse sufficiat, quid apud nos fieri soleat, cum reges unguuntur. Integri tauri affari, magna vini dolia exponi solent in gratiam plebis, ut taceam, quod usu quoque receptum sit magnam pecuniæ summam per plateas projicere.

§. II

Ex iis Scripturæ locis, quæ §. I. citavimus, observare licet, *Jesum Dominum nostrum*, quoties falsa sibi crimina objecta audiret, *obstinatum servasse silentium*, nec vel unico verbo suam ostendisse innocentiam, quoties vero ab ipso quæreretur, utrum *Messias, seu Christus* esset, summa constantia veritatem elocutum atque confessum esse. Ex quo magna fit significatio, Eum non invite, sed sponte, non coacte, sed libere mortem pro nobis adiisse. Quam vero ob rem ad quæstionem Pilati, *quid esset veritas*, nihil omnino responderit, id difficilius est dicta, quamdiu, quo animo Pilatus hanc quæstionem enunciaverit, ignoramus. Interea, calculis rite subductis, difficulter nobis persuaderi patimur, eum fuisse Pilatum, qui animo discendi cupido hoc quæsitum enunciaverit. Quamvis enim sibi perspectam haberet innocentiam Jesu, utpote cujus ex institutis nihil periculi rei Romanæ timere poterat, inde tamen non sequitur, eum his institutis magnum statuisse pretium, sed ea potius contempsisse. Quum multi Romanorum philosophiam sectarentur Academicam, quæ nihil certum esse somniabat, verisimile videtur, Pilatum unum ex numero Scepticorum fuisse, qui veri & falsi discrimen prorsus imaginarium putabant. In quæstione igitur Pilati hæc esse potuit sententia: *Bonum te virum esse intelligo, quippe qui, quantum ex fama percepi, perpetuam vitæ innocentiam dictis & factis testari soles, quod vero tantum pretii statuis*

tuis VERITATI, ut pro ea mortem oppetere non reformides, id potius simplicitatis, quam perspicacitatis argumentum puto, quandoquidem veritas, aut nulla est omnino, aut profundo dimersa & abstrusa jacet puteo, nullo hominum studio eruenda. Nec in quæstione Pilati multo diversa inerit sententia, si JESUM pro sapiente Stoico habuerit. In hanc vero opinionem eo facilius incidere potuerat, quod non ignorabat, quanto studio JESUS suis tolerantiam laborum, patientiam dolorum & summum studium extirpandi dominium vitiosorum affectuum inculcare solitus erat. Hanc opinionem haud parum confirmare potuerat, quum nuper audiverat, confessionem JESU, qua sibi regnum quoddam veritatis adseruerat. Forte etiam Pilato ignotum non erat, eo insolentiæ progressos fuisse Stoicos, ut illum ipsum, quem nomine sapientis dignum judicabant, regem quoque appellandum esse sciscerent. Quidquid fuerit, hoc certum est, Jesum idoneam tacendi causam habuisse, quippe qui optime intelligebat, nihil se effecturum fuisse, si ad quæstionem Pilati vel prolixissime respondisset. Atque hoc ex ipso contextu haud obscure patere arbitror. Jesus enim definite & emphatice locutus fuerat de τῆ ἀληθείᾳ, Pilatus vero quæsit non quid esset ἡ ἀληθεία, sed quid esset ἀληθεία sine articulo?

§. IV.

Interea nostra maximopere interest novisse, quid tandem illud sit, quod Jesus nomine *veritatis* intellexe-

lexerit. Ut ad hanc quæstionem in altera parte Disser-
 tationis eo plenius respondere possimus, hic viam, qua
 illuc eundum, paulatim stravisse juvabit, alias atque alias
veritatis notiones, qua fieri potest perspicuitate, evol-
 vendo. Vox *veritatis* tam Sacris, quam profanis in
 scriptis adeo multas & varias admittit significationes,
 ut dies nos deficeret si singulas vel enumerare velle-
 mus. Quare eas nominasse sufficiat, quæ ad scopum,
 quem hic ferire animus est, ceteris propius spectant.
 Generatim loquendo in *tribus* potissimum *casibus* lo-
 cum habere solet *veritas*, nimirum 1:0 *cum loqueris*, *ut*
sentis, 2:0 *cum sentis*, *quod res est*, & 3:0 *cum res est quod*
esse debet. Hæc tria veritatis genera terminis technicis
 efferre solent eruditi, primum *Morale*, alterum *Logicum*,
 tertium *Metaphysicum* appellantes. Non dubitamus
 fore Lectores, qui brevibus, quas hic adduximus,
 descriptionibus veritatis non contenti, pleniores defi-
 nitiones postulabunt. Has igitur iis tradidisse non
 pœnitebit. In antecessum vero nominasse juvabit, ex
 lege oppositorum totidem esse genera falsitatum iis-
 dem terminis technicis efferenda. Veritatem Meta-
 physicam definimus *affectionem entis cujusvis, qua ea*
omnia habet, quæ ipsius essentiæ seu naturæ debentur, vel
 ut aliis placet, *qua ea omnia habet, quæ ei vi defini-*
tionis competunt, modo nimirum vera sit ipsa definitio.
 Sic Metaphysice *verus est Deus*, qui tot, tanta & talia
 habet attributa, quot, quanta & qualia conceptus naturæ
 Divinæ postulat. Hoc pacto *Jehova* verus, *Jupiter*
 B vero

vero falsus est Deus. Atque hæc est ratio, cur Sa-
 cræ Litteræ Deos paganorum Hebraice יהו, Græ-
 cæ Ψευδος, hoc est, *mendacium* appellare solent. Ve-
 ritas Logica definiri solet *convenientia repræsentationum*
cum re repræsentata. Sic cum Pilatus Jesum sibi, ut
 hominem penitus innocentem repræsentaret, in repræ-
 sentatione ejus veritas Logica erat. Contra vero
 cum inficeta Judæorum plebecula superiorum dece-
 pta suggestionibus eundem sibi representaret ut pessim-
 um impostorem, mendacium logicum committebat.
 Veritas Moralis *consistit in consensu oris & cordis, qui*
tum locum habet, cum quæ animo sentimus, ea verbis ef-
ferimus. Sic veritas Moralis inerat in verbis Dei,
 quibus Adamo moriendum esse dixerat quocunque
 tempore de fructu arboris scientiæ boni & mali come-
 sturus esset. Contra vero mendacium morale erat,
 quod ex ore manabat serpentis seductoris, cum Evæ
 persvaderet, esum ex hoc fructu ei non nociturum,
 sed profuturum esse, quippe cujus hic potius esset
 effectus, ut homines Deo similes redderet boni & ma-
 li scientia imbutos. Quanta autem impudentia sca-
 tuerint hæc seductoris verba, exinde facile constat,
 quod *bonum & malum scire* tantundem est, ac res om-
 nes novisse, adeo ut illa ipsa Dei similitudo, quam
 protoplastis pollicebatur, nihil aliud involveret, quam
 æmulationem ipsius *Divinæ omniscientiæ*. Sunt qui
 plures commemorant species veritatis morales, utpo-
 te qui eam quadrifariam dividunt, ut alia sit *personæ*,
alia

alia juris, alia facti, alia denique rei. Sed de his sigillatim scribere non vacat. Hoc tamen monuisse juvabit, veritatis moralis omnino latiore esse notionem, quam ut ea solius oris & cordis consensu aestimari debeat. Nam cum arcana animi sensa aliis quoque signis, quam verbis, prodere possimus, utpote vultu, nutu, gestu & ipsis denique factis, facile quisque videt, hoc muto sermonis genere & vera & falsa dici posse. Sic cum lætus vultus lætum animum prodit, veritas adest. Quod si vero aut in tristitia lætum, aut in lætitia necesse ostentas vultum, mentiris. Sic qui, devoto desultuti animo, elevatione oculorum, complicatione manuum, flexione genuum, aliisque gestibus pietatis speciem inter precandum præ se ferunt, impudentissime mentiuntur. Idem de actionibus tenendum. Qui nulla cura animi emendandi tenentur, & nihilo tamen minus & publica & privata pietatis exercitia obeunt, in etiam mentiuntur.

§. V.

His præmissis, ad *Sacras* progredimur *Litteras*, ex iis alia atque alia producturi loca, in quibus vox *veritatis* illustriores tuetur significationes nostro scopo inservientes. Primum quidem observare licet, hanc vocem quatenus est abstractum a concretis *αληθης* & *αληθινος*, pro ipsis concretis quandoque emphatice poni, idque ita, ut nunc ad personam nunc ad doctrinam referatur. Quod vox *αληθεια* doctrinam evangelicam significet, ex variis Scripturæ locis constat, & nominatim Joh.

π: 17. ubi hæc leguntur verba: ο νομος δια Μωσεως εδοθη· η χαρις και η αληθεια δια Ιησου Χριστου εγενετο. Hoc loco doctrinam Mosaicam doctrinæ Evangelicæ e diametro opponi, ad oculum apparet. Quum vero *tria* sint *genera Legum*, quæ doctrinam Mosaicam constituent, nimirum *Morale*, quod hominem, *Forense*, quod civem & *Ceremoniale*, quod membrum Ecclesiæ Israëliticæ formaret, non sine ratione quæri potest, utrum Evangelista uni horum Legum an vero universis *Χαρις και αληθειαν* deneget. Nostro quidem iudicio hic in primis respicitur ad *Legem ceremonialem*. In Scriptis antiqui fœderis sæpissime occurrit formula *חסד ורחמים*, cui in Libris novi fœderis respondet formula *Χαρις και αληθεια*. *חסד* & *χαρις* gratiam significant, idque duplici ratione. Quando de personis prædicatur *affectum denotat animi ad felicitatem aliorum promovendam propensi*, quo sensu speciatim ad *promissa benefica* respicit, quando vero de rebus dicitur, *sensum involvit jucunditatis*, a quo absunt, quæ molestiam quocumque modo pariunt. Ideo vero hunc sensum a Lege ceremoniali percipere non licebat, quod ea & rigidissima & difficillima observatu erat. Peccata faciebat ex actionibus sua natura innocentibus, & quæ sæpius nullo pacto evitari poterant, v. g. contactus cadaverum hominum & animalium ratione carentium. Unde hæc Lex Petro *Ζυγος αβασακτος*, dicitur Act. XV: 10. Interea tanti rigoris erat, ut iis qui eam *εισσιως*, i. e. *destinato animo* transgrederentur, nullum superesset sacrificium, quo eorum
expi-



expiari posset delictum Ebr. X: 26. conf. Exod. XXX: 38. Lev. XVII: 4. 8—10. Num. XV: 30. &c. Et si vel summa observaretur diligentia nullum tamen peccatum expiare poterat. Ex doctrina enim Pauli *peccata sanguine hircorum & taurorum dilui ἀδυνατον* est Ebr. X: 4. Contra ea certo certius est, doctrinam Christi solatii exuberantissimam, ob eamque causam non tantum observatu facillimam, sed & sensu gratissimam esse. Ipse enim Salvator discrete docet: *Ο ζυγος μου χρηστος και το φορτιον μου ελαφρον εστιν*, Matth. XI: 30. quare Johannes fatetur: *αι εντολαι αυτου βαρσειαι ουκ εισιν, precepta Ejus, Dei, gravia seu difficilia non sunt* 1 Epist. V: 3. Sed hæc propter cohærentiam Textus.

§. VI.

Plus ad rem, quæ hic agitur, confert penitior excussio vocis *ἀληθειαι* cujus notiones ex notionibus Hebrææ vocis *דבר* pendent. Hanc igitur prius excutiemus. Doctrinam Christi nunc *fidem* nunc *veritatem* appellari notissimum est. Utraque denominatio pendet ab eadem voce *דבר*, ad cujus notiones Apostoli, gente Hebræi, inter scribendum attendebant. Vox vero *דבר* non tantum significat *certum assensum aliorum verbis datum*, Syetice *τρο*, sed etiam *fidelitatem ordhâlenhet*, quam *dictorum conventorumque constantiam* designat Cicero cum & Latina vox *fides* & Græca *πιστις* utramque significationem tueantur. Ideo vero *fides* appellatur doctrina Novi Fœderis, *quod Deus in hoc li-*

travit fidem, quam Patribus in Veteri Fœdere de mittendo Rege Veritatis dederat, adeo ut sit metonymia causæ pro causato. Huuc eundem sensum habet Græca vox ἀληθεια, quippe quæ non raro id denotat quod non in pictura videtur, sed in natura sentitur. Hæc significatio profanis quoque Scriptoribus familiaris est, quatenus το ἀλητων opponunt ej, quod est εν εικονι *). Totus cultus Leviticus nihil aliud erat, quam σκια των μελλοντων αγαθων, umbra futurorum bonorum Ebr. X: 1. Quantum igitur differt homo vivens & spirans ab imagine hominis in tabula vel accuratissime picti, tantum differt doctrina Christi a doctrina Mosis. Eadem fere ratio denominationis est, cum Lex Littera & Evangelium Spiritus appellatur 2. Cor. III: 6. de qua re hic plura dicere non attinet.

§. VII.

Superest ut idoneo exemplo ostendamus, voce ἀληθειας etiam indigitari personam. Hoc ex ipsis verbis Salvatoris didicimus, quæ sic habent: Εγω ειμι η οδος, και η ἀληθεια, και η ζωη. Job. XIV: 6. Vox οδος via, in utroque Fœdere religionem non raro significat. v.g. Gen. XVIII: 19. Deut. X: 12. Job. XXIII: 11. Pl. 22. XVIII: XXV: 4. 10. XXVII:

*) Iictor ille celeberrimus Apelles cum equi imaginem pinxisset & equus, quo Rex vehebatur, imagini adhiisset, id his verbis effert Ælianus: προς τον ιππον τον εν τη εικονι, ως προς ἀληθινον και εκεινον, Var. Hist. 11: c. 3. Hinc videre licet τον ἀληθινον ιππον idem esse ac verum & vivum equum. Αληθεια igitur id est, quod picto contradistinguitur.

XXVII: II. LI. 15. CIII: 7. Exod. XXXIII. 13. Matth. VII: 13. 14. Luc. I. 76. Act. XIII: 10. XVI: 17. XVIII: 25. 26. 2 Pet. II: 2. 15. 21. Quando igitur Jesus dicit: Ego sum *via*, modus loquendi est figuratus. Est enim Metonymia effecti pro causa, quare sensus est: Ego *auctor & doctor religionis*; quando dicit: Ego sum *veritas*, sensus est: Ego sum *auctor & doctor religionis veræ*, quæ bona Spiritualia non in *pictura*, sed in *natura* exhibet: quando denique dicit: Ego sum *vita*, sensus est: Ego sum *auctor & doctor veræ & vivæ religionis*. Totum dictum huc redit: Ego vos *veram & vivam docebo religionem*, quæ rationem continet perveniendi ad Patrem h. e. cognoscendi *animum Dei paternum immensis misericordiae & beneficentiæ divitiis exuberantem*. Quod hic sit sensus dicti ex alio dicto huic parallelo discimus, quod sic habet: ΕΧΟΝΤΕΣ ΟΥΝ, ΑΔΕΛΦΟΙ, ΠΑΡΗΣΙΑΝ ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΙΣΟΔΟΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΕΝ ΤΩ ΑΙΜΑΤΙ ΙΗΣΟΥ, ΗΥ ΕΥΕΚΑΙΝΙΣΕΝ ΗΜΙΝ ΟΔΟΝ ΠΡΟΣΦΑΤΟΝ ΚΑΙ ΖΩΣΑΝ, ΔΙΑ ΤΟΥ ΚΑΤΑΠΕΤΑΣΜΑΤΟΣ ΤΟΥΤ ΕΣΙ ΤΗΣ ΣΑΡΚΟΣ ΑΥΤΟΥ. Ebr. X: 19. 20. Quum igitur fratres fiduciam habeamus introeundi in Sanctuarium per sanguinem Jesu, qui nobis introitum initiavit viam recentem & vivam. Ex inde, quod hæc via dicitur *προσφατος*, recens, efficitur id quod diximus, Jesum non tantum *doctorem*, sed & *auctorem* esse religionis Messianæ, id quod etiam verbum *ευεκαινισε* haud obscure insinuat. Quod ad Epitheton *ζωντος vivæ*, attinet, quod vox *οδος*, *via*, hic gerit, sciendum est, nomine *vivæ* in Sacris Litteris non tantum significari *statum unionis animæ &*

corporis, quo percipiendi & sentiendi facultate uti possumus, sed simul involvere notionem jucunditatis & hilaritatis, quo sensu vita aeterna tantundem est, ac letitia aeterna & gaudium aeternum, cujus quidem appellationis ratio est, quod homines nihil habent vita pretiosius & jucundius. Pari ratione mors aeterna aeternam significat miseriam, quia Gentiles mortem vocabant omnium terribilium terribilissimum, id quod Sacrae quoque Litterae faciunt, cum mortem appellant מַלְאָכַת הַמָּוֶת regem terroris Job. XVIII: 14. Sed haec haecenus.

§. VIII.

Priusquam quaestionibus nostris nominalibus finem imponamus, unum adhuc *genus veritatis*, quod ex ceteris quasi conflatum est, ob eamque causam nomine *veritatis compositae* venire solet, verbo tetegisse non poenitebit, eoque minus, quod ratio regni veritatis, de quo agimus, in hoc genere veritatis tanquam cardine vertitur. Ideo vero compositum audit hoc genus veritatis, quod *unum omnia tria genera veritatis* de quibus supra §. IV. egimus complectitur, adeo ut is demum ejus cenferi debeat particeps, *qui cogitat quod res est, qui loquitur quod cogitat, & qui talis est, qualis esse debet ex Legibus*. Quis vero & qualis esse debet, nisi qui, praelucente intellectu & decernente voluntate, ad studium pietatis atque virtutis diligenter & constanter incumbit, ex officio faciendo laetum jucunditatis sensum percipiens. Hanc notionem veritatis non ex nostro ipsorum cerebro effinximus, sed ex claris & certis Scripturae effatis desumimus. Huc pertinent ea utriusque Foederis loca, ubi mentio fit *ambulationis in veritate*, cujusmodi sunt Ps. XXVI, 3. LXXXVI: 11. Ef. XXXVIII: 3-2 Joh. v. 4. 3 Joh. v. 4. Si cui dubium videatur, utrum *ambulare in veritate* idem sit ac *virtuti studere*, eum ablegamus ad alia Scripturae loca, in quibus qui recta sequuntur, errorum ac vitiorum tenebras averfantes, *veritatem facere* dicuntur Joh. III: 2. 1. Joh. I: 6. Nullum vero neque clarius neque certius Scripturae testimonium ad hanc veritatis notionem confirmandam adferre possumus, quam quod 1 Joh. II: 3. 4. sic habet: *Ἦν τούτω γινώσκωμεν ὅτι ἐγγνώκαμεν αὐτὸν, εἰάν τις ἐντολάς αὐτοῦ τηρῶμεν. Ὁ λέγων ἐγνώκα αὐτὸν, καὶ τὰς ἐντολάς αὐτοῦ μὴ τηρῶν, ψευδὴς ἐστὶ, καὶ ἐν τούτῳ ἡ ἀλήθεια οὐκ ἐστίν.*